

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0450

0448

0454

0444

0459

0439

0499

0399

0549

0349

0949

Ende

Anfang

436

Aestimo, quod ego biberim cum aqua ultra centum vermiculos vivos; sic et alii. Colavimus ergo aquas per panniculos et amphoras nostras replevimus et utres vacuos, abjicientes vermes et grossiores immundicias, quae nos improvidi imbibemus, unde vehementer timuimus vitae nostrae et pavidi expectavimus tristes operationes illius inhumani potus. Sed Deo nos protegente nihil penitus passi sumus nec aliquam vel minimam molestiam sensimus, et non dubium, si cum tanta siti venissemus ad aquas recentes et frigidas et claras, fuissent nobis mortiferae propter intemperatum appetitum. Demum ductores nostri reperta in quodam loco via cum camelis et asinis descenderunt ad aquas et bestias aquaverunt, quae profecto non tam irrationabiliter potaverunt sicut nos, sed in superficie sorbebant, ne vermes cum aqua simul sugerent. Ascenderunt autem aliqui peregrini et infirmos nostros etiam in vallem duxerunt pro eorum recreatione, erat enim vallis profunda et umbrosa propter superpendentes minaces rupes et protensas petras, et erant in valle virgulta et salices et cavernae in petris delectabiles, in quibus sedimus. Lavimus autem ibi capita et corpora nostra, et camisias et sudariola et mundavimus nos a verminibus, quos nominant pediculos, quibus nullus caruit, quantumcumque nobilis. Unde una de principalibus vexationibus et miseriis maris et deserti sunt pediculi, qui omni momento crescunt in maximo numero. Saepe miratus fui eorum subitaneam generationem; cum enim quis jam in hoc sero se mundat, statim alio sero sequenti tantumdem invenit et adeo grandes, ac si per mensem camisiam non visitasset. Vae illis, qui comam nutrunt, quia silvam et refugium pediculis secum habent, eisque, deteriusve, qui pigritia victi se non omni sero absolvunt. Erat inter nos quidam miles strenuus, qui numquam digitis pediculos tangere voluit, nec colligendo, nec occidendo, sed semper duos lapides accepit et ubi in camisia pediculum vidit, ipsam camisiam super lapidem unum posuit et altero lapide pediculum tundens mactavit. Multam jocunditatem habuimus cum isto milite cum sua mactatione.

Mundatis nobis ignem in valle fecimus et pro coena paravimus cibos cum magno gaudio. Numquam in hoc itinere

